

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Schnobel

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joachimus Schnobelius, I. U.
D. & Professor ad Piam & devotam Resurrectionis Jesu Christi meditationem
Omnes omnium ordinum Cives Academicos Sedulo invitat & exhortatur**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811551>

Druck Freier  Zugang



R.U. Progr. 1643

1) Joachim Schnobel

2)

3) Heinr. Rapine

4) Joach. Stockmann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734811551/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811551/phys_0002)

DFG

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
Academiae Rostochiensis
JOACHIMUS SCHNOBE-
LIUS, J. U. D. & Professor
ad
Plam & devotam
RESURRECTIO-
NIS JESU CHRISTI
meditationem
Omnes omnium ordinum Cives
Academicos
Sedulò invitat & exhortatur.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLIII.



Xperientiâ docemur, hunc
esse rerum ordinem, hanc seriem
immutabili velut lege decretam,
ut, sicut nubila serenitas, tempe-
statem turbidam æquoris malacia,
sic labores justorum & cruciatum innocentium
honor ac voluptas consequantur. Cui rei firman-
dæ non opus est in scenam producere ~~Æneas~~
& monstrorum domitorem Herculem, cui post
incredibiles & difficillimos labores priscorum
Poëtarū fabulosis Carminibus impensè decan-
taros tandem sopito Junonis infensissimæ odio
adscensus in cœlum & immortalitas superorum
contigisse proditu. Nec Augusto Imperato-
re, qui bellis civilibus externisq; magno labore
ac prudentia confectis & compositis, pacem ter-
ra mariq; obtinuit, ac volentibus Romanis divi-
nâ quadam reverentiâ & honore conspicuus se-
cure & quiete imperavit, indigemus. Papirios
quoq;, Fabios, Scipiones, Æmilios, Marios, &
omnes laboribus, periculis & curis juxtâ ac vi-
ctorijs, honoribus & felicitate inclytos ē ruderis-
bus veteris Romæ accersere neutiquam neces-
sarium existimamus. Ipsæ Sacræ litteræ eorum,
quæ tenenda, sequenda, vitanda sunt, Pandectæ
satis

satis exemplorum nobis suppeditant, quibus, quanto sudore, quo ærumnis & periculis vera tandem quies & gloria obtineatur, abundè eruditur. Non fieri poterat Ægypti princeps & à Rege proximus Josephus, nisi priùs in puteum angoris demersus, peregrinis mancipatus & in squallido carcere tres annos cum miseria maxima detentus fuisset, licet probitate sua nulli secundus secundam & ad nutum fluentem fortunam ab ineunte ætate mereretur. Quid ærumnosius & calamitosius fuit Davide, cùm Saulis fugeret iram, & instar mortui canis ac pulicis viliissimi despiciatui esset omnibus, & mortem. Sæpius intentatam quavis hora sibi imminentem velut inter sacrum & saxa metueret? Hujus licet integritas divino cordi cognata esset, non tamen nisi post varios casus & tot discrimina rerū ad dignitatis regiæ fastigiū fuit evectus. Non licebat Iob majorem pristinā intueri fortunā antè, quam ruinam domus, clades suorum, & seipsum invidiæ ludibrium ac mortalium foedissimum vidisset ac expertus esset. Hujusmodi plura sacer codex nobis depingit, ut nemini ad augusta patere adiutum nisi per angustias, nulli ad aliquid humanæ sortis oblectamentū & decus, nisi dolore maximo antea exercitus & in ignominiam imò fermè in nihilum redactus sit, accessum dari statuamus.

Ita enim agit summus rerum moderator: ita vi-
sum ipsi fuit perpetuo, quasi materia deesset eri-
gendi, nisi dejiceret; copia sanandi, nisi vulnera-
ret; gloria exaltandi, nisi premeret; virtus illu-
strandi, nisi attenuaret; occasio resuscitandi, nisi
morti daret. Tantum calamitatis mysterium
ut eò minus cogitationes nostras turbet, filius
ipse Numinis divini, Patri essentiâ, æternitate
& gloria æqualis cùm ad redimendum genus hu-
manum orci faucibus & flammis in æternum
mancipatum carne nostra indutus se accingeret,
& vicem nostram subiens cuncta nobis adversa
profligaturus, ac pedibus suis nostrisq; subjectu-
rus, sibiq; regnū & nomen incomparabile com-
paraturus esset, priùs in miseriam calamitosissi-
mam demergi, & omni fermè cruciatum gene-
re affligi & coangustari voluit. Prodite enim
filiae cœlestis Solymæ è claustris vestrarum cogi-
tationum, respicite in omnes mundi angulos, in
omne ævum hujus universi, & videte, num do-
lor aliquis cuiusquam tantus fuerit, quantus
fuit hujus viri dolor tunc temporis, cùm gla-
dius divino jussu elevatus eum feriret, vis & po-
testas tota tenebrarum adversus illum insurge-
ret, angores inferni animam immensa crudelita-
te torquerent, corpus vinculis constrictum, pu-
gnis percussum, flagellis spinisq; laceratū clavis

per-

perfossum cruci tandem ipsi affixum penderet, fama mendacijs, contumeliis, sannis extremè laboraret, nihilq; ex omnibus, quæ quidem in hominibus dicuntur bona, nec amici ulli, qui hanc sortem miserarentur, multò minus socii, qui levarent ac opitularentur, adessent. Ludus certè jocusq; sunt in unum velut acervum congesti omnium dolores etiam exquisitissimi præ cruciatibus, quos anima corpusq; Christi nullo suo merito ad expianda sclera nostra placardum iratum Patrem, & damnationem hominum abolendam senserunt, quorum gravitate & vehementiâ victus sanguinē sudavit, mutationem voluntatis paternæ tristi lamentatione expetiit, & in cruce inter suspiria & clamores, quibus se à Patre desertum & velut abominabile piaculum relictum querebatur, tandem spiritum emisit. Ingens & infinitū fuit quod passus est, labor, dolor, hostis, nullius viribus perferendus, nullius robore sustinendus, nullius astu aut virtute demandus ac vincendus. Sed ita res & conditio nostra ferebat, ut nusquam daretur locus præ furiarum infernaliū tormentis, quæ nos manebant, quò fugeremus, nisi torærumnis, laboribus, ac nece sua æternus hic Dei filius obstru. Etiam ad cœlum viam & vitam immortalem recuperandam, prostratis ac deletis tortricibus fu-

turis patefecisset. Hoc vero factos immensa jam
gloria decoratus VICTOR in regno Patris sui
triumphat. Non enim fieri poterat, ut fons &
Princeps VITÆ Morti penitus occumberet, ab
eâq; absorberetur, & sanctissimus ab omniq;
labe peccati secretus corruptione periret. Quam
vis igitur emisso Spiritu corpus exanime monu-
mento includeretur, per biduum tamen in eo
saltē retentum luce prima diei tertii vitâ do-
natum pristinâ resurrexit. Quantò verò gravior
ejus fuit cruciatus quam aliorum, tanto majora
illum finitum beneficia & præmia sunt sequuta.
Quicquid enim humanogeneri adversum erat,
sanguine ejus velut diluvio quodam inundatum
& extinctum, ac amissa gratia & divinæ aura, quâ
in æternum viveremus, nobis redditæ ac restitutæ.
Nec enim ipse solum judicio ereptus divino
perennem sortitus est vitam, verum etiam nobis
æternæ morti addictis immortalitatem partam
è sepulchro reduxit. Sic igitur Populu sibi novu
sub novi fœderis lege formavit, & silentibus infe-
roru portis regni illius, in quam ab æterno missa
erat, possessionem optimâ maximâ velut victor
longè gloriissim9 arripuit & stabilivit. Hoc est
illud regnum, quod velut saxum ex alto lapsum
non Satanæ solum arces & palatia, sed universa

mundi hujus regna, adeò ut Reges Maximi tacito quodam horrore illud reformident, comminuit ac sibi subiecit, specie quidem humile, potentia verò, virtute & honore supravim & sublimitatem omnium, quæ vel magnitudine vel opibus vel robore gloriantur. Hoc est illud regnum, in quo, licet ubiq; gentes fremant ac tumultuentur, Pax perpetua floret, Pacisq; fructus Justitia, Securitas, & sincera Voluptas populum ei subditum sine fine ornant, comitantur, oblectant. Hoc regno ipse nunc adeò delectatur, ut delicias suas in eo solo positas affirmet, in eo amplificando, tuendo, ornando nihil faciat reliqui, fidelesq; ejus incolas in consortium suæ gloriæ felicitatisq; recipere gaudeat & studiosè annitur. Cujus rei modò recensitæ cùm hodie recolatur memoria, nostru omnino est, relictis reb⁹ devo-to pectore nostro Servatori gratulari, eumq; redivivum ac de victis Principibus tenebrarum, triumphantem laudibus, non quantis debemus, sed quantis possumus, salutare. Salve igitur Semē benedictus, Lux & Salus gentiū: Salve Sol justitiae: Salve nostra Sapientia, nostra Redemptio: Salve Victor, Triumphantor maxime: Salve Rex gloriæ: Salve Rosa Paradisi, Virga florida Aaronis, Germen vivum Jessæi: Salve noster Pontifex & inter-

tercessor: Salve Spes nostra, Rupes & præsidium
rutiſſimum: Salve Pastor, Medice, Frater fidelis-
ſime! O te pacis Principem, Sanctitatis Ducem,
Patientiæ datorem! Invise, quæſumus, clemen-
ter populum tuum, & concede, ut qui litibus ac
odiis hactenus sepulti, ac bellis quaſi indurati
fuerunt, ad Concordiam & Pacem denuò colen-
dam ex pergiscantur; qui peccatis involuti &
veteri fermento malitiæ & nequitia inter nos
tumefacti jacuerunt, ad vitæ melioris sincerita-
tem & veram sanctitatem resurgant; obruti verò
malis & calamitatibus hujus ſeculi ſpe liberatio-
nis futuræ, gloriæ ac æternæ beatitudinis ad pa-
tientiam subinde evigilent ac erigantur. Tibi
cum æterno Patre ac Spiritu S. fit laus, honor &
gratiarum actio in infinita ſecula. Hæc & quæ
multò uberiùs de hoc argumento in ædibus fa-
cias publicè docebuntur ut singuli Academiæ
nostræ Cives piè devotèq; ſecum meditentur, &
in tenebris ſeculi plusquam Ægyptiacis trans-
cundo ad cœleſtem tendant patriam credenti-
bus & piis promissam, fideliter eos monemu-
tū & ſitas eſt, obteſtamur. P. P. Rost. April.

Anno M. DC. XLIII.

50 (o) 50



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734811551/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811551/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734811551/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811551/phys_0012)

DFG

piamus & colamus, si p̄
lytron, quod in se ipso, redi-
lutis causa, persolvit, grat-
mus, ac justa lance ponder-
mus. Si seriā p̄nitentia cu-
Adami exuvias abjiciam⁹, &
novum induamus hominem
tistites sacra facturi ēḡs ēḡs
mabāt, procul hinc, procul e-
sublimiora nulla sunt sacra,
Genethliaca, quare & hinc p̄
sacris penitus absint, quomo-
fanaturi. Non reperiantur
contemta, vel imprudenter
huic festo debita religione, ir-
consverunt, ita & perre-
reperiantur qui publicis con-
tas horas chartæ, aleæ, comp-
pendant, & hoc ipso tempore
te Angelorum choro, illud C
EX CEL SIS ingeminari pa-
& Cyclopicis clamoribus &
bus fora & plateas implent, q
meliorem mentem precamu-
madversiones denuntiamus;
submissè invocamus, ut quas



m illud
stræ sa-
gnosca-
estime-
veteris
n anno
im An-
procla-
. Atqui
dierna
& hisce
a pro-
terve
immâ
ere, ut
Non
estina-
is, im-
cinen-
A IN
toriis
poati-
nibus
s ani-
UM
s nef-
cio